



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Reverendissimo, Perillustri, Ac Excellentissimo Domino Domino Francisco  
Joachimo de Schmid in Altenstatt & Hechenkirchen &c. &c. Reverendiss. &  
Sereniss. S. R. J. Principis & Episcopi Frising. & ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI,  
AC  
EXCELLENTISSIMO  
DOMINO DOMINO  
FRANCISCO JOACHIMO  
de Schmid in Altenstatt &  
Hechenkirchen &c. &c.

Reverendiss. & Sereniss. S. R. J. Principis & Episcopi  
Frling. & Ratisbonensis Consiliario Intimo Actuali, in Spiritua-  
libus Vicario Generali, Cathedralis Ecclesie Ratisbon. Cano-  
nico Capitulari; nec non Collegiate Ecclesie ad Sanctos  
Joannes, Baptistam & Evangelistam, Præposito Insula-  
to &c. &c. Domino ac Patrono suo perquam  
Gratioso.

**T**am dulcis & constans Reverendissi-  
ma, Perillustri, & Excell. Dominationis vestrae me-  
moriam animo haret, ut eam non modò vivens nun-  
quam deponere, sed etiã post obitum meum perennare  
mibi



mibi unicè in votis sit. Quid enim Professori dulcius accidat,  
quàm meminisse discipuli talis ac tanti, qui summam ingenij  
sublimitatem, claritatem, & promptitudinem indefessa  
industria, perpetua exercitatione, & honestissimis optimi  
Studiofi moribus ita excoluit, scientijs quàm Theologicis  
quàm Juridicis adeò perpoliuit, ut intra tot annorum lustra,  
quibus Severiores Diciplinas publicis in Lyceis & in Univer-  
sitatibus tradere mihi contigit, meliorem ( absit invidia verbo )  
& doctiorem non habuerim discipulum; quippe qui  
non contentus proprio & prorsus singulari profectu, quemse-  
licitas ingenij & mentis solertia ipsi peperit, alios quoque,  
cæteris præstantiores, tam pulchro exemplo & quadam au-  
thoritate, quam inter ipsos eminenti doctrina ac suavis-  
simo agendi modo obtinuerat, ad gloriosam emulationem &  
eximium scientiarum cultum non tam provocavit, quàm pertra-  
xit? Id factum tum maximè, quando, quibus à Scholis vacabatur,  
diebus eos invitavit ad Disputationes, æque Juridicas ac Theologicas,  
in suis adibus non sine solemnitate institutas, nec sine condimento  
& doctis Concertantium clamoribus habitas, multisque horis  
plerumq; in serum usque vel perù, continuatas, quibus ipse  
ex altiori loco præsidere solitus, Adversarij argumenta dex-  
errimè solvit, & genuinam doctrinam clarissime explanavit,  
jam tum Professori longè similior quam Discipulo. Unde contigit,  
ut, quando Studijs Academicis gloriosam coronidem impositurus  
publicas ex Univerfo Jure Sacro Theses, cum integro Decretalium  
libro secundo, solenniter sub meo præsidio propugnare dignatus est,  
ingens mihi ætium fuerit, nec aliud agendum, quàm tempus me-



tiri, oppugnantes vocare, solidissima Responsa appositissime,  
clarissime, & copiosissime data non tam approbare, quam ad-  
mirari: Auditores autem, ingenti numero presentes, Reli-  
gione, Sanguine, Doctrinâ &c. plurimum conspicui, una cum  
amplissimis Patribus Academicis, attoniti tacito murmure  
applauderent, inde verò digressi in amplissimas laudes effusi  
totam urbem encomijs replerent, palam asserere non du-  
bitantes, talem, tam peritum, tam promptum, tam undequa-  
que egregium in Arena Academica Palestitam à se nunquam  
visum vel auditum esse: quas laudes volans Fama mox per  
vicinas Regiones longè latèq; sicut divulgavit, ita hodie-  
dam adhuc fideliter conservat. Quid proin mirum, quòd  
Scientiarum Emporium Roma, quò famam prævolantem ex  
modico intervallo Celebratissimus hic Pugil secutus est, in ipsa  
Sapientia (hac enim sola tam doctum coronare verticem digna  
fuit) supremam ex Theologia, Scientiarum Principe, ei coronam  
imposuerit obstupescens profundissimam & amplissimam hujus  
Teutonici doctrinam; ac paulò post Sacrorum Canonum Condi-  
tor, Summus Pontifex, Cathedralis Ecclesia Ratisbonensis  
Canonicatûs honore, tum verò Præpositura ad D. Joa-  
nis Baptistæ & Evangelistæ Insulâ eandem remunerari digna-  
tus sit: ipse autem Reverendissimus & Serenissimus S. R. J.  
Princeps & Episcopus Ratisbonensis, JOANNES THEO-  
DORUS, ex Augusta Domo Bavarica, virum scientijs ac  
virtutibus adeò eminentem pro suo in Spiritualibus VICA-  
RIO GENERALI clementissime elegerit? Quis igitur  
mibi vitio vertat, quòd ego tanti Discipuli memoriâ plu-  
rimum & innocenter delecter, quin & in eo gloriari præsu-  
mam



nam (gloria enim est partis filius sapiens) atque ideo li-  
quidissimum animi gaudium contestari, & memoriam presentis  
Tractatu velut perpetuo monumentò perennem facere decreve-  
rim, hos ultimos meos conatus eidem cum omni submissione  
& reverentia officiosissimè dedicando? Id unicè rogo, ut post-  
remum hunc partum, quem in senectute enitor, tam gratio-  
sa voluntate in tutelam recipere, quàm propensa ac devota  
ego mente offero, atque velut Patronus & Protector potentis-  
simus suis auspicijs ac Ingenij Eruditionis que sua invicta vir-  
tute contra quoscunque tueri in avum non dedignetur, quod ip-  
sa sincerissimis votis quàm longissimum, omni felicitatis ge-  
nere refertum apprecor in Rei Catholica & Ecclesiastica disci-  
plina incrementum, in totius Cleri Ratisbonensis Dicaecos  
perenne decus & ornamentum, meique solatii indeficiens aug-  
mentum. Monachij 2. Aprilis 1734.

Reverendiss. Perill. ac Excellentiss.  
Dominationis vestrae

Sevius in Christo devotissimus

VITUS PICHLER S. J.